

SCRIPTA

Numéro Scripta : 759

Auteur(s) : Rouen (official)

Bénéficiaire(s) : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1259, octobre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Renonciation en faveur de l'abbaye par Isabelle Roussel, femme de Raoul Croustin, et par Alix, femme de Robert Croustin, à leurs droits sur une succession

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CCII, p. 226-228.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris Officialis Rothomagensis salutem in Domino. Noveritis quod in jure coram nobis constitute Ysabellis Roussel, uxor Radulfi Croustin, de parochia Sancti Johannis de Augo, et Aelidis, uxor Roberti Croustin, de parochia de Ulteriori Portu, tunc temporis, ut dicebant, se gerentes pro heredibus Aelidis la Camberesse, de assensu et voluntate predictorum maritorum suorum, qui presentes erant coram nobis, recognoverunt se quitasse et penitus dimisisse viris religiosis abbati et conventui de Ulteriori Portu, pro quindecim libris turonensium, de quibus coram nobis se tenuerunt pro pagatis, renunciantes exceptioni pecunie non numerate, omne illud jus quod sibi competeat, seu competere poterat, ex successione prefate Aelidis la Camberesse, venditiones et donationes quarumdam terrarum et tenementorum, et etiam omnium aliarum rerum, factas dictis religiosis a dicta Aelidi la Camberesse et Rogero le Messier, quondam marito suo, dum vivebant, ratas habentes et eas, in quantum poterant, confirmantes, prout in cartis factis dictis religiosis a predictis Aelidi et Rogero, et sigillis eorumdem sigillatis, ut dicitur, plenius continetur, tenendum, habendum et perpetuo possidendum eisdem religiosis, et eorum successoribus, bene et in pace, libere et quiete et ad faciendum exinde, salvo jure dominico, suam penitus voluntatem. Juraverunt insuper dicte Ysabellis et Aelidis, et predicti Radulfus et Robertus, mariti earumdem, tactis sacrosanctis euvangeliis, spontanea voluntate coram nobis, quod in predictis rebus venditis et donatis eisdem religiosis, videlicet in quadam pecia terre sita in territorio de Quesneto, inter terram Alani de Mesnillo, ex una parte, et curtillis Willelmi Mauchion, Milonis Wigot, ex altera, et in quodam tenemento sito apud Quesnetum, et masura sita inter vicum de Quesneto, ex una parte, et ortum Johannis le Tense, ex altera, et in uno campo, qui vocatur campus de la Rue, et in quodam alio campo, qui vocatur le Grant Camp, et in quodam alio campo, qui vocatur le Petit Camp, et in omnibus aliis rebus, si que donate vel vendite fuerint eisdem religiosis a dictis Aelidi et Rogero, ratione hereditatis, maritagii, dotalicii, particionis, conquestus, domini, elemosine, seu quacunque alia ratione sibi competenti, nichil de cetero reclamabunt, nec dictos religiosos, seu eorum successores, super premissis in foro ecclesiastico vel seculari aliquatenus molestabunt ; se et heredes suos et omnia bona sua, quoad premissa omnia fideliter observanda, specialiter obligando. In cujus rei testimonium, presenti scripto sigillum curie Rothomagensis,

ad instantiam dictarum uxorum et eorum maritorum, salvo jure cujuslibet, duximus apponendum. Actum anno Domini M°. CC°. Lmo. nono, mense octobri.